



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0718

Sabato 08.10.2016

Lettera all'Inviato Speciale alle celebrazioni di riapertura del Santuario Memoriale di Mosè sul Monte Nebo, in Giordania (15-16 ottobre 2016)

In data 3 ottobre 2016 è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Leonardo Sandri, Prefetto della Congregazione per le Chiese Orientali, come Inviato Speciale del Santo Padre alle solenni celebrazioni di riapertura del Santuario Memoriale di Mosè, sul Monte Nebo, in Giordania, in programma nei giorni 15 e 16 ottobre 2016.

La Missione Pontificia che accompagna l'Inviato Speciale è composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do P. Feras Hejazin, ofm, Guardiano del Convento di Amman e del Monte Nebo;
- Rev.do P. Rami Asakrieh, ofm, parroco di Betlemme e assistente dell'Ordine Francescano Secolare, già Guardiano dello stesso Santuario del Monte Nebo.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Leonardo Sandri:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
LEONARDO S.R.E. Cardinali SANDRI
Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus

Sacratissimas inter memorias quae, pietatis causa, iam diu invisuntur ab iis qui primaeva Bibliorum loca petunt, praeclarus eminet Mons Nebo a quo Dominus ostendit Moysi “omnem terram Galaad usque Dan et universum Nephthali terramque Ephraim et Manasse et omnem terram Iudae usque ad mare occidentale et Nageb et latitudinem campi Iericho civitatis palmarum usque Segor” (*Dt* 34, 1-3). Hoc brevi conspectu terrae “lacte et melle” fluentis usus, inclitus ille propheta mortuus est ibi, “in terra Moab, iubente Domino” (*Nm* 13, 27; *Dt* 34, 5).

Iussit vero Dominus deinde ut Filius in mundum veniret, qui “amplioris gloriae prae Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet quam domus, qui fabricavit illam” (*Heb* 3, 3). Itaque decet magnopere locum

redintegrare quo, primordia Ierusalem terrestris intuitus, sepultus est iste praecursor Christi venturi. Quocirca transmissum est Nobis rogatum Reverendi Patris Francisci Patton, O.F.M., Custodis Terrae Sanctae, ut aliquem Patrem Purpuratum mitteremus qui partes ageret Nostras inter sollemnia inaugurationis Sanctuarii memorialis Moysi dicati in Monte Nebo. Iustae insuper huic postulationi Nos adnuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurrimus quippe qui industriam colloques in Congregatione pro Ecclesiis Orientalibus moderanda. Te igitur hisce Litteris *MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM* nominamus ad celebrationes inaugurationis Sanctuarii Moysis in Monte Nebo, quae die XV huius mensis Octobris sollemni modo in "vertice Phasga" agentur (*Dt* 34, 1).

Hoc in anno divinae misericordiae dicato, omnes istius eventus participes adhortaberis ut, propheta Moyse intercedente, dona Spiritus Sancti fervida oratione expetant, quibus corda omnium hominum magis ad Deum convertantur, mentis oculi aperiuntur atque divinae revelationis profundior evadat intellegentia. Cunctos sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque et christifideles laicos Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendes benevolentiam, quam ad universos quoque Auctoritates civiles omnesque participantes extendas volumus.

Instanti denique prece Omnipotentem Deum exoramus, ut efficaciter officium tibi concreditum expleas, ita ut omnes monumenti inaugurationem participantes uberibus gratiis a Domino ditentur. Caelestium verum donorum conciliatrix et nuntia esto Nostra Benedictio Apostolica, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libenter in Domino impertimus, quam item ad omnes, fausta hac occasione data, illic congregatos volumus pertinere.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die III mensis Octobris, anno MMXVI, Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.

FRANCISCUS

[01602-LA.01] [Testo originale: Latino]
